



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. X. De Cognatione Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. X. DE COGNATIONE SPIRITUALI.

SUMMARI A.

1. Cognatio spiritualis qua & unde contrahatur.
2. Inter quos quoad impediendum & dirimendum matrimonium.
3. Impedimentum hoc restrictum per Conc. Trid.

Cognatio triplex est: aut est spiritualis, aut legalis, aut naturalis. De spirituali hoc Tit. de reliquis agitur Titulis tribus sequentibus.

1 Spiritualis cognatio hoc nomine inscribitur, quod ea contrahatur ratione Sacramentorum, quae spiritualia sunt; non quidem omnium, sed dumtaxat Baptismi & Confirmationis, *c. ult. eod. l. lib. 6.* Etenim per Baptismum spiritualiter renascimur, & per Confirmationem perfectiores reddimur Christiani, *can. 1, & 2, de consecr. dist. 5.* Ut igitur per naturalem nativitatem naturalis cognatio nascitur, de qua *inf. tit. De consanguin. & affin.* ita per spiritualem, cognatio spiritualis. Atque hujus spiritualis cognationis quoque mentio fit apud Justinianum in *l. Si quis alienam 26. circa fin. C. De nupt.* imo apud D. Paulum, in *epist. ad Rom. 16, cap. in vers. Salutant vos Timotheus &c.* si ibidem Origeneum antiquissimum Interpretem sequamur.

2 Ac imprimis haec cognatio spiritualis contrahitur, quoad impediendum & dirimendum matrimonium, inter patrem naturalem & matrem baptizati, & suscipientem e baptismo, tamquam patrem spirituales, qui & idcirco Compadres appellantur, si quidem vir sit suscipiens; si mulier, dicitur Commater, *cap. Veniens 6, inf. h. t. & c. 1, eod. tit. lib. 6.* Non autem contrahitur inter eorum liberos utrimque excepto tamen eo, qui baptizatus est, qui tantummodò prohibetur contrahere matrimonium cum liberis suscipientis, quasi inter se jam frater & soror sint, *c. 1, & 3, & c. 7, h. t.* vel nisi consuetudo Ecclesiae Metropolitanae, vel aliarum circumjacentium Eccle-

sarum prohibeat hujusmodi liberos utrimque conjungi, quam servandam esse docet textus in *d. c. 2, & 3.*

Item contrahitur haec spiritualis cognatio inter patrem naturalem baptizati & suscipientis filios & uxorem, dummodò haec a marito suo antea cognita fuerit, alias secus, per text. in *c. Martinus 4, h. t. & d. c. 1, eod. in 6, in can. Suscipiantur &c. Si quis ex uno xxx 9. 4.* In uxore ratio est, quia cum per carnis copulam maritus & uxor una caro facti sunt, necesse est, quod eadem paternitas, quae in marito est, in uxorem quoque transfundatur. In filiis verò suscipientis rationem jam antè diximus, quod scilicet sibi invicem sint frater & soror. Item contrahitur eadem cognatio spiritualis inter baptizantem, e jusque filios & baptizatum, *d. c. 1, in 7, & c. fin. h. tit.*

Ex Confirmatione quoque spiritualis cognatio iisdem modis contrahitur, matrimonium similiter impediens contrahendum, & contrahendum dirimens, *c. 1, §. ex confirmatione eod. tit. lib. 6.* Et haec quoque jus Decretalium.

Cæterum Concilium Trid. nonnihil restringit, hoc impedimentum spiritualis cognationis. Cujus verba hic placet subicere: Sancta Synodus statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant inter quos, ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Et paucis interjectis: Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem non egrediarur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impediementis omnino sublatis, *textus est Conc. Trid. Sess. 24, c. 2, de reform. matrim.* Ex quibus constat, quae diximus de filiis suscipientis & uxore, item de filiis utriusque compadis, abrogata esse.

IN TIT. XII. DE COGNATIONE LEGALI.

SUMMARI A.

1. Cognatio legalis qua.

2. Quamdiu duret.

3. An a qua ex adoptione atque arrogatione nascatur?

4. *M. 10*